



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 2. De Psyllis, & ophiogenesisin. Allatus locus Varronis, cuius testimonio
vsus erat Plinius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

referri? ἐν τέχνῃ autem est, in libris de arte scriptis. Particulam ἄλλοθεν, eò addidit, quia sine dubio plurimum ad fidem valent αἰ ἀποδείξεις. In eodem etiam libro, vbi ostendit rhetoricen æqualem esse dialecticæ: atque inter cetera argumenta eius rei ponit id quodque, vt dialecticus adhibeat ad probandum duo instrumenta, syllogismum & inductionem, sic à rhetore adhiberi alia duo, quæ illis respondeant, enthymema & exemplum, non dubito quin ita legendum sit: Τῶν δὲ διὰ τῶ δεικνύουσι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύουσι, καθάπερ ἐν τοῖς διαλεκτικαῖς πο μὲν ἐπαγωγὴ ὅτι, τὸ δὲ συλλογισμὸς. καλῶ δὲ ἐνδύμματα μὲν, ῥητορικῶν συλλογισμῶν παρὰ ἑσμά δὲ, ἐπαγωγῶν ῥητορικῶν. quæcunq. autem inculcata sunt, rectè aberant ab aliis libris: & addita sunt ab iis qui, errore ducti, deesse aliquid existimarent: cùm tamen nihil desit. hoc enim dicit Aristoteles: Eorum quæ faciunt fidem, quòd aut demonstrant, aut demonstrare videantur, aliud syllogismum esse, aliud inductionem: quemadmodum & in dialecticis. se enim vocare enthymema, syllogismum oratorium; exemplum verò, oratoriam inductionem. Verbum φαίνεσθαι, & vox καθάπερ obiectisse errorem videntur iis qui aliquid præterea addendum censuerunt.

De Psyllis, & ophiogenesin. Allatus locus Varronis, cuius testimonio vsus erat Plinius. CAP. II.

PLINII verba sunt hæc è capite secundo libri VII. Crates Pergamenus in Hellesponto circa Parium genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat, serpentum ictus contactu leuare solitos, & manu imposta, venena extrahere corpori. Varro etiam nunc esse paucos ibi, quorum salua contra ictus serpentum medeantur. Similis & in Africâ gens Psyllorum fuit, vt Agatharchides scribit, à Psyllo rege

Maretti
Varia Lectiones
LIB
78



rege dicta, cuius sepulcrum in parte Syrtium maiorum est. Horum corpori ingenitum fuit v̄us exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirent eas. Mos verò, liberos genitos protinus obiiciendi sauisimis earum: eoq; genere pudicitiam coniugum experiendi: non profugientibus adulterino sanguine natos serpentibus. Hæc Plinius, qui cum Varronis testimonio vtatur, cuius scripta, maximo studiorum incommodo, desiderantur; ego autem ea, quibus hoc ipsum doctissimus ille scriptor expoſuerat, verba repererim, operæpretium facturum esse me duxi, si ea hîc apponerem, ac cum Plinianis contenderem. Citat igitur hæc Priscianus è Varronis libro primo Rerum humanarum: *Vt habent Parij, qui vocantur ὄφιόσχοις, & in Africa Psyllos. quorum ὄφιόσχοις cum arbitrantur, suppositum esse aliquando in stirpe, ei admovent, vt pungat, colubram. cum pupugerit, si de genere sit, viuere; si non sit, mori. In eodem: Admota aspis cum pupugerit, si non occidat, sciat, ex Psyllorum stirpe esse.*

Sententiam illam, Patria est, vbicunque bene est, acutè à Lysia reprehensam. CAP. III.

QVOD in vetere tragœdia Telamonis filius Teucer dixisse traditur, Patriam esse cuique, vbicunque cuique esset bene; id etsi pulchrè ac sapienter dictum videtur, profectumque ab animo excelso, & despiciente omnes acerbitates, quas homini obiicere fortuna posset: grauitè tamen & verè reprehensum est ab oratore prudentissimo, & acutissimo Lysia: demonstratumque eam sententiam hominis esse de suis tantum commodis solliciti, neque ad ciuilem communionem apti. non enim valdè laborabit, quid patria sua fiat, quicumque eo erit animo, vt illius caritatem opportunitatibus suis metiatur. solum ipsum, cui